CHRYSIOSCOPION,

seu

Aurilogium.

Potissima, & Nobilissima

auri arcana ἄνευ δόλυ repandens, & quomodo vitæ hujus nostræ demensum, DEO volente, per id physicè sanum, & incolume propagari, ac prolongari queat, edocens, unà cum aliis scitu, ac notatu dignissimis novem capitib9, quorum Summam post præfationem invenies, expositis;

Labore, & Studio

CASPARIS AMTHOR
Med. Licent.

Paracelſ. lib. Vexat. p. 932.

Qui rem acutius perpendit, veritatem attingit.

JENÆ,
Sumptibus JOHAN. REIFFENBERGERI.
LITERIS WEIDNERIANIS.
Anno MDCXXXII.

VIRIS

Magnifico, Nobilissimo, atq;
Eminentissimo,

Dn. LAURENTIO NICOLAI, Potentissimi, Invictissimi, ac Christianissimi Regis Suecorum, Gothorum, & Vandalorum &c. à secretis intimis, ex mandato S. S. Regiæ Majestatis Dresdæ jam residenti &c. Mecænati & Patrono S. Magno, ac venerando.

Clarissimis item, Excellentissimis, atq; experientissimis Phil. & Med. Doctoribus celeberrimis:

Dn. JOHANNI RUPERTO SULTZBERGERO Serenissimi ac potentissimi Principis Electoris Saxoniæ Medico felicissimo ac circumspectissimo.

Dn. JOACHIMO COLLOBIO DOMINORUM à Reussen Ordinario meritissimo.

Dn. JOHANNI MICHAELIS SUSATENSI Practico Lipsiæ eximio, Facultatisque ibidem Assessori dignissimo.

UT ET

Amplissimis, prudentissimis, longo rerum usu, doctrinâ & arte Spectatissimis:

Dn. CASPARO CHRISTIANI Illustrissimi Principis Electoris Saxoniæ Dresdæ Secretario fidissimo.

Dn. MARTINO SCHERCKELIO.

Dn. PANCRATIO WOLFIO Pharmacopœis artificiosissimis & celeberrimis, inter quos Ille quidem Lipsiæ ad Salomonem; Hic verò Naumburgi degit.

NEC NON

Solidà virtute, doctrinà, verà pietate, singulari prudentià & Authoritate gravissimis:

Dn. PETRO FREISLEBIO Quæstori apud Eisenbergenses dexterrimo.

Dn. SEBASTIANO SCHLAGIO Consuli ibidem Primario.

Dn. CHRISTOPHORO FORTZIO Not. Publ. Nobilissimorum à Pölniz à Judiciis, & officiis Spectatissimo.

Dn. FRIDERICO ZEIDLERO Not. Publ. & Astygrammateo Eisenbergæ fidissimo, dignissimo.

Dn. VIRGILIO JACOBI }
Dn. GEORGIO BEYERO } Viris-Juvenibus Eisenbergę dilectissimis & maximè conspicuis.

Dominis Patronis, Promotoribus, Fautoribus, & Amicis suis observandis ac colendis

Aurilogium hoc in sui commendationem

submissè offert
dicat
consecrat

AUTHOR.

Præfatio ad lectorem æquissimum, ac benignissimum.

NAturæ consideratio-nem, ac contemplationem pabulum quasi quoddam esse animorum, ingeniorumq;, Aquila illa eloquentiæ Cicero verissimè pronunciavit libr. 1. Tuscul. quæst. cujus Philosophiam tanti fecit Megalander Lutherus, ut non dubitarit publicè in trapezologia sua fol. 544. omnibus Aristotelis operibus anteferre: Et revera ita sese res habet cum naturæ contemplatione, quæ vegetis, neque otio rubiginosis ingeniis tantam affert cognoscendi voluptatem, ut nonnunquam non tàm animum exhilaret, quàm debilitet, non tàm producat juventutem, prout Cardanus voluit, quàm decurtet, si non fiat cum modo, & intra modum. Nam si paulò acriùs animum intendimus, & crebriuscula ponitur opera, exhauriuntur spiritus tenuiores, quibus absumtis, quod reliquum est, quasi cinis fit. Id quod de ipsomet se conqueritur Scaliger Exerc. 319. Qui metuens, ne vitæ quantum superesset, cum serò ipsi ad hanc studiorum felicitatem patuisset aditus (meliorem enim vitam inter arma & temerè, & frustrà, & miserè prodegerat, prout in præfatione super Exercitationes suas ipsemet fatetur,) operas aliquando triplicavit,

adeò,

adeò, ut ex pertinacioribus vigiliis surrepserit ei invictus morbus, qui pristini corporis vix dodrantem illi reliquerat. Quod proculdubio cum aliis summis, & acutissimis viris etiam ob abitum, & obitum præmaturum expertus est contemplator, scrutatorq; ille naturæ absolutissimus Paracelsus, cui certè metalla juxta corticem tantùm aspicere, & solum aureis in digito annulis, & in marsupio nummulis spiritꝰ suos vitales splendore reficere non placuit; sed Magistrū probationis ignem adhibuit, carbones non reformidavit, fornacem accessit, follem admovit, & quid natura intus, & in cute foveat, felicissimè cognovit, ac perspexit. Utut verò videatur absolutissimè de omnibus præ omnibus egisse; Tamen ob summam & nunquam satis demirandam rerum verissimarum, per varias terrarum plagas collectarum, ut & à semetipso inventarum copiam, multa ob amplitudinem materiæ plus justò concisa, plura ob proprium Idioma obscura, plurima ob præmaturam necem corrupta damno deflendo nobis in Tomis suis reliquit, in quibus ampliandis, illustrandis, & restituendis multi adhuc desudant, licet labor hic non sine magno dedecore, & ipsius naturæ, totque mortalium injuria apud multos vilescat.

Quamvis autem optimè sciam multarum rerum scientia, usu, & exercitatione eum instructum esse oportere, qui aliquid hujꝰ generis in lucem editurus est, hoc maximè seculo, in quo exercitatissimorum tot centuriæ felicissimè florent; Ego verò fortè anser habear inter hosce olores, prout est in proverbio;

Tamen cum neque anſeres fruſtrà à Deo & natura ſint conditi, libet cum illis coram naſutulis ſtrepere, & oloribus ad ſuaviorem cantum irritamentum præbere. Quare ſpe olitorum, qui interdum etiam opportuna loquuntur, auro tanquam regi metallorum primum locum tribuere, helioſcopium, ſeu aurilogium adornare, reliquorumque ſex metallorum ſubſecuturo examini σὺν θεῷ tanquam anteambulonem præmittere volui. Non deerunt, ſuboleo, qui pro ſuo in quarto modo proprio tacitè cæptum hoc meum exagitabunt, ſatius putantes, ſi de Marte ſeu ferro ferreo hoc, & bellicoſo tempore, quo grave murmur claſſicorum ubique ſonat, aliquid divulgaſſem, quippe cum multi, quibus à militibus aurum intus harpagatum, ita ſint Arabicis, & Ungaricis exenterati, & eviſcerati, ut fermè, quid aurum ſit amplius neſciant. Verum cum pecunia ſoleat eſſe ambulatoria, facileque fieri poſſit, ut

ad Dominum redeat, quod fuit ante ſuum.

Iccirco expectantes opimam ſpem bono animo hanc meam lucubratiunculam pellegere poſſunt. Præterea non tàm fœneratoribus, quàm naturæ & veræ Medicinæ Candidatis hunc noſtrum laborem ſacrificavimus. Hiſce

Lector amice {*fave* / *Vale*} *ſcriptum hoc contemnere noli,*
Sed meliora tenens Candidus *affer amo.*
Aureus eſt nunc MARS, ſunt ferrea ſecula MUSIS,
Planè habeas auri ne, nihil, iſta lege.

IN-



INDEX CAPITUM.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

De nomine & derivatione Vocabuli.

QUandoquidem rectè, monente Scaligero Exercit. 1. Vocis ipsius usum prius cognoscere oportet, à quo sæpenumero provehimur in rei perceptionem; Immò secundum Platonem ὄνομα καὶ λόγος primi gradus sint comparandæ scientiæ; Iccircò meritò exordii, & primi loci honore auri vocabulum dignamur. Ducitur autem Latinum vocabulum aurum ab aura, vel à splendore, quo etiam ita afficit homines, ut nemo in mundo absque hoc splendore splendeat, Unde Poeta verè, ac scitè;

Aurea nunc verè sunt secula, plurimus auro
Venit honos.

Vel prout alii, & quidem rectiùs, volunt à Græco vocabulo αὐρὸς, quod divitem, & potentem notat. Aurum enim Regina est omni tempore, donat formam & genus. Unde τὸ ἀργύριον καὶ τὸ χρυσίον χρησίμους θεοὺς h. e. argentum & aurum utiles Deos vocavit Menander, & Antiphanes ait; πάντα λῆρος πρὸς τὸ χρυσίον omnia nugæ respectu auri; quippe quod ἐστιν αἷμα, καὶ ψυχὴ βροτοῖς, sanguis, & anima est hominibus. Idem alibi. Græcè vocatur χρυσὸς, unde quidam Naumachius:

χρυσός τι κόνις ἐστι, καὶ ἄργυρος h. e. aurum certè pulvis est & argentum.

DoctissimusHeinsius aurum lingua nuncupaturus appellitat portiunculam splendentis luti.

Plato è sua Republica aurum & argentum exulare voluit; Scitè enim dixit: Αγαθὸν ὄντα διαφερόντως καὶ πλουσίον εἶναι διαφερόντως ἀδύνατον, Excellenter bonum, & excellenter divitem esse simul impossibile. Quæ certè Reipubl. facies, si unquam floruit, hodie ubique apud subditos floret,

ita, ut, si indigentia bonos efficere debeat, jam nemo fermè malus inveniatur. Omnes enim fermè nervo illo μονωτάτῳ rerum gerendarum destituuntur.

Aurum vocant Germani Gold / fortasse à Gelden / à valore. Bellè enim & Politicè & Physicè valent, quibus

— *sunt auri pondera facti,*
Infectiq;. Virgil. 10. Æn.
Nec facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Tantum de nomine.

CAPUT SECUNDUM
De illius definitione.

DEfinitionem quod spectat, notum hoc in Scholis, quòd alia sit perfecta, alia imperfecta; Illa propriè dicitur definitio; Hæc descriptio. Illa constat è solis caussis Essentiam constituentibus, quales caussæ genere, & formâ comprehenduntur; Hæc minus. Et quia genus prior pars est definitionis perfectæ, differentia verò posterior, quippe quæ generi addita definitionem complet & absolvit, sive ducatur à forma, quæ rarior, vel à fine, vel à subjecto, vel alio argumentorum genere. Iccirco genus auri primò examinare, pòst differentiam considerare, & ultimò totalem definitionem constituere animus est. In hoc autem bellè conveniunt, & in una sede morantur Aristotelici, & Chymici, statuentes, in auri definitione metallum legitimum genus esse, prout & reapse est, & meritò pro Rege, perfectione, conatu & beatitudine metallorum reliquorum à Cardano viro incomparabili habetur, licet subtilius magis, quàm verè loquendi hunc modum aureum non vocet in haud nullis subtilis magis, quàm verus Scal. Exerc. 106. sect. 2. In differentia autem nimium quantum discrepant.

Secun-

Secundum Aristotelicos enim esset aurum metallum, constans exhalatione siccâ & humidâ (juxta Scaligerum Exerc. 20. & 88. aquea terreâ) frigore congelatâ, quod propterea non nisi multo calore possit in pristinum restitui fluorem. Sed ignoscant mihi antiqui hi Philosophorum proceres, quod cum illis facere nequeam. Etenim nimis remota, & generalis hæc videtur auri materia; propius, meliusque ad rem, Naturam, & veritatem accedunt Chymici, propriissimas omnium metallorum caussas esse sulphur metallicum & argentum vivum contendentes, quod multis firmissimis argumentis demonstrare possemus, nisi jam dudum à doctissimis & undiquaque expertissimis, ac celebratissimis viris Fratre Basilio Valentino, Paracelso, Libavio, Martino Rulando, Quercetano, Hartmanno & aliis adeò firmiter demonstratum fuisset, ut qui plura de hac re afferre velit, non tàm supervacanea proferat, quàm doctis odiosa; Nec opus multis verbis, ubi rerum adsunt Testimonia.

Nos aurum sic definimus: *Aurum est metallum perfectum à Sulphure metallico rubeo, seu citrino sale naturæ intimè implicato, & argento vivo purissimis, subtilissimis, & exquisitissimè, quoad principia, ita commixtis & excoctis, digestum, ut nec terrâ, nec aquâ, nec aere corrumpatur, nec etiam igne comburatur, sed magis magisq; in eo perpurgetur, ad examen usq; cineritii ac cœmenti.*

Et sic metallorum Regem & caput, Aurum definitum dedimus, prolabimur ad Caput Tertium.

CAPUT TERTIUM

De divisione, differentia & nonnullis aliis auri qualitatibus generalioribus.

PLinius vir nunquam satis laudatus, prout Scalig. Exerc. 141. Sect. 7. ipsum vocat, tres modos auri adipiscendi usitatos describit; Primus est, quando aurum fluitat, & natat in fluminibus, cujusmodi sunt Lagus, Padus, Hebrus, Battolus, Ganges, &c. Secundus est puteorum scrobibus effodiendi. Tertius modus est in montium ruina. Sed omnium optimum censetur, cujus ramenta natant in fluminibus, quia cursu ipsius fluminis perpolitur. Effoditur hoc metallum in montibus Arabicis, item in aliis fodinis; Reperitur & in Trutarum Capitibus, in quibus num naturaliter semen auri, ob aurifodinarum aquas, quas certum trutarum genus amat, & incolit προενυπάρχειν (liceat mihi verbo illo græco trium signatissimarum præpositionum circumscriptionibus scitissimo cum Scaligero uti Exerc. 181. sect. 19.) dicendum sit, prout in aurei dentis puero Silesiaco non nemo est, qui affirmat?

An verò ens auri aquis communicatum, prout in nonnullis acidulis fit, forte in caput irreptum hoc caussetur?

Judicium paulisper usque ad aliam occasionem suspendam.

Laudatissimum alioquin aurum hodie habetur in monte Terrato proximè civitatem Corbachianam, teste Scribonio. Scriptura sacra Aurum è regione Ophir, reliquis omnibus præfert, Job. 28. Vers. 16. Hinc aurum dicitur in Psalmis obryzum, quasi Ophiryzum, ex Ophir advectum. Rectius verò tunc scriberetur Ophryzum per ph, quàm per b. simplex. Alii, qui scribunt per simplex b & i, derivant à verbo

obra.

obradiare, quasi quod aurum obradiet. Sed sufficit de hisce, quia in Etymologiis interdum ludere licet. Hebræi septem species seu genera auri habuerunt referente Lamberto Danæo in Physica Christiana; Aurifabri nostri hodiè plus quàm viginti gradus auri, pro varietate mixtionis agnoscũt. Major autem auri copia semper in Orientalibus plagis, quæ calidiores, humidioresque, & ubi vis & calor solis major (ut in India & Arabia, quo loci adhuc purissimum & nobilissimum invenitur) provenit, quàm in aliis locis, quæ magis ad septentrionem inclinant. Etsi enim nec ibi auri generatio deficiat; Tamen si aurum ibidem effoditur plus imperfectorum metallorum continet; Sed per aquas separatorias, cineritium, & alios modos facilè separatur, & tàm perfectum evadit aurum, ac est Indicum & Arabicum, prout evidenter hoc testatur Hispanicum, Ungaricum, & Germanicum.

In genere notandum optimi auri indicia esse: 1. Splendorem & citrinum ruborem, id quod puræ, & exquisitæ coctionis, & tincturæ est argumentum. 2. Pondus, quod Mercurium compactum, & fixum denotat. 3. Ductilitatem, quæ talis, ut etiam aurum neri & texile fieri possit; Hinc tertia pars unius grani auri purissimi in filum 134. & integrum granum 402. pedum longitudine ab artificibus produci potest, quod humidi maximè defæcati puritatem denotat. 4. Ignei Examinis tolerantia, quæ ejus incorruptibilitatem convincit. *Omne enim corruptibile*, teste Lull. cap. 51. Theor. *non potest examen ignis sustinere*. Et Paracelsus alicubi: *Omnia metalla, & mineralia, quæ in igne flammam non evomunt neq; exhalant, & aduruntur, indicant æqualem commixtionem Mercurii & Sulphuris, maximamq; fixationem & perfectionem.*

De auro alioqui dicitur, quod contra diem circa diluculum frigescat, id quod experiri possunt ii, qui aureos gestant

gestant in digitis annulos, sic enim deprehendere queunt quasi per horologium, quando diluculascat, aut diescat.

Habet & aurum singularem cognationem cum argento vivo, & propter materiæ communis affinitatem ei innatat, quod alii, sed falsò, ponderi ascribere maluerunt. Ita, ut vel hinc patescat metallorum principium esse argentum vivum. Nihil enim aliud ab auro differt, quàm accidentibus, hoc est, puritate, & digestione. Immò Mercurius est quasi clavis omnium metallorum. Hic tanquam Spiritus metallicus fumo pertransit metalla omnia, & illa calcinat, & ab illorum fumo rursus coagulatur: Sic à corpore Solis corporalitatem, & corpus Solis ab illo Spiritualitatem mutuatur. Fac ergò fixum volatile, & volatile fixum, & habebis totum magisterium. Clangat in auribus Clang. Bucc. p. 486, *Totum beneficium artis est in Sole & Mercurio. Etenim ipsa in unum conjuncta lapidem Philosophorum constituunt, & tincturam habent infinitam. Nam in corpore acquirit colorem sanguine rubicundiorem.* Elegantissimè certè & ex fonte naturæ hoc manifestat, Dius Paracelsus, Exemplo, dum ait: *Si aurum & Mercurius per amalgama in conjunctione Solis & Mercurii probè uniuntur, præsertim, si Sol in illa ipsa conjunctione etiam Dominus cluet super Mercurium, tunc facilè possunt ita figi, ut tinctura evadant ad Mercurium vivum, quæ postmodum amplius cum Mercurio vivo in tali conjunctione augmentari queunt, quod sanè maximum est naturæ arcanum.* Et alibi: *Si aurum super Mercurium vulgi detinetur, tunc per fumum omne argentum vivum sese in aurum insinuat, & album efficit, friabile & colliquabile, prout cera. Idem fit cum argento. Atq; hoc vocamus Magnesiam Philosophorum, quam multi quæsivere. Sic beneficio crebrioris sublimationis per Mercurium vivum, Mercurius Solis, Lunæ, Veneris, &c.* Item arbor aurea & argentea per viam siccam, & humidam parari potest. Aureis literis Paracelsi verba Libr. de generatione rerum naturalium cordi tuo infige, dum sic ait: *Prout homo*

in

in maternam alvum terram, ex qua primus homo productus, & in extremo die secunda vice regenerari potest: Sic omnia metalla rursus in Mercurium introire, & per ipsum solvi, & Mercurius fieri, & per ignem secunda vice regenerari & clarificari possunt, si in continuo calore quadragintis septimanis, ceu infans in utero matris foventur. Atq; sic non solùm communia metalla, sed & tingentia generantur. Nam si argentum dicto modo secundâ vice regeneratur, alia metalla tingit in argentum. Et sic etiam aurum regeneratum, alia metalla in aurum vertit. Idem judicium esto de reliquis; Hactenus Paracelsus. Sed manum de tabula. Mercurius enim mihi aurem vellicat insusurrans; Μηδενὶ ὦ τέκνον ἐκφαίνων τῆς παλιγγενεσίας παράδοσιν, h. e. Nemini, O Fili, aperias regenerationis doctrinam.

CAPUT QUARTUM

De partibus Auri essentialibus.

AUdivimus supra capite secundo in definitione, constare aurum argento vivo, sulphure metallico, citrino Sale naturæ impraegnato. Quò respiciens Paracelsus ait: Aurum Microcosmus est, tria habens principia, (Sal, Sulphur, & Mercurium intelligens) & quatuor elementa, & est cœlestis substantiæ, cœlum, & radii solares sunt in eo, ideò ignem sustinet. Quatuor elementa, quomodo possimus adipisci fundamentaliter in Tomo suo primo agit mihi pag 792. quo lectorem remittimus. De argento vivo præcedente capite fusiùs egimus, ubi de affinitate illius cum auro notatu dignissima anneximus.

Sal indivisibiliter conjunctus est cum Sulphure, estque naturæ Spiritualis, beneficio cujus Sulphur Mercurium in metallum coagulat, inque eo ita latitat, ut fermè unum sit cum Sulphure; Ideò pauca de tertia parte puto Sulphure in medium afferemus; Siquidem illud prout & Mercurius

multis

multis antiquis fuit petra offensionis, ea de caussa, quia commune Sulphur sibi imaginabantur, quod est φλογιστόν: sed adeamus ducem & Magistrum optimum Paracelsum, qui omnes dubietatis nebulas nobis discutit, nostrumque animum ad Veritatis tribunal sistit, dum lib. 1. de generat. rerum, ait, *sulphur est anima metallorum, licet combustibile, & commune sulphur pro metallorum anima non sit habendum; Sed alia res est anima, non corpus quoddam combustibile, aut corruptibile; sed anima ipsa est ignis, igitur etiam ab igne non consumitur, & revera nihil aliud est, quàm quinta essentia sulphuris, quæ sulphuri reverberato cum Spiritu vini extrabitur, & pellucidum instar Rubini apparet.* Quomodo verò mortificatio & fixatio sulphuris semota pinguedine adustibili & fætente fiat, pellucentibus ostendit verbis in libr. de morte rerum naturalium; Ubi recipere jubet Sulphuris communis citrini pulverisati subtilissimè, quantum vis, & ter abstrahere aquam fortem ab eo acerrimam, & sic in fundo remanere ait sulphur atri coloris. Ablue aquâ communi dulci destillando, donec aqua dulcis rursus ascendat, neque ullum sulphuris fœtorem redoleat. Sulphur hoc in clauso reverberatorio in morem Antimonii reverbera, & primò efficitur album, pòst citrinum & tandem rubeum instar cinnabaris, Lætare! Hoc tingit quodvis argentum in aurum excellentissimum, & corpus humanum ad summam ducit sanitatem. Recipe sulphuris reverberati & fixi, & affunde Spiritum vini, cum quo essentia quinta sulphuris extrahatur, abstracto postea spiritu vini quinta essentia sulphuris instar Rubini apparet, & hoc ingens est arcanum ad transmutationem metallorum alborũ, & mercurio vivo in fixissimũ aurũ coagulando. Habes Thesaurum Thesaurorum. Observa autem, ut cum aqua fortis à sulphure abstrahitur quatuor transversos digitos emineat, & refundendo aquam fortem postremò ad siccitatem usque hoc sulphur subnigri coloris abstrahatur. Quintæ hujus essentiæ in Spiritu vini extractæ in periculo-

sissimis

ſiſſimis morbis doſis eſt, gutt. iiij. vel ſex quotidie usque ad ſolidam reſtitutionem. Sumta diebus 28, juventutem revocat. Contra peſtem dantur gutt. vj. vel vij. in aqua tormentillæ, in vino, vel oleo Juniperino, ſic tamen ut ſudor ſubſequatur.

CAPUT QUINTUM

De Auro fulminante, & ejus Enchiriſi, ubi inſimul Martis tonantis fit mentio.

ETſi non deerunt, qui actum me agere dicent, ideò, quia & Crollius, & Beguinus, aliique auri fulminantis deſcriptionem divulgarunt. Verumenimverò, cum unicuilibet ſuus maneat laborandi, & dilucidiùs rem tractandi modus, ob inſignem ejus uſum, quem in foro Medico nobis ulteriùs exaltatum exhibet, prout αὐτόπτης vidi, & propriâ manu elaboravi candidè communicabo, ita ut ſi omnia ad unguem obſervaveris, errare vix poſſis, quod alioqui ſecundum citatorum autorum deſcriptiones ſæpiùs factitatum memini. Et Crollius quidem cum Beguino pro repercuſſione uſurpant Spiritum tartari; Quemadmodum & Sal tartari in aqua ſolvunt, & ſic auri calcem cadere efficiunt. Ego verò ad illius caſum adhibere ſolitus ſequentem aquam:

Recip. Tartari
Salis petræ: ana, lib. 2.

ſiccentur, & pulveriſentur ſubtiliſſimè, miſceanturque & indantur in mortarium orichalcinum puriſſimum & cum ferro candente accendantur, & remanebit candida materia inſtar lapidis, ſuperfunde aquam puram, & optimè miſce, ut fiat inſtar lixivii, ſtet ſupra fornacem, donec aqua appareat

purissima, filtra, & reserva. Quo facto sume auri purissimi quantum vis, fac tenues laminas, quas candefactas in patella argentea probè extingue, ut ab impuritatibus liberentur, inde in phiolam, & superfunde aquam regis optimam non adulteratam, quæ laminas super lenem, ac levem calorem solvet, quo facto in capaciorem phiolam inde, & guttatim aquam supra descriptam infunde, & cum strepitu tumultuabit; Hoc tamdiu age, donec non ampliùs strepitum edat, & sic aurum fundum petet, quod clarum est separa: quod in fundo manet philtra per manicam Hippocratis, & edulcora aqua simplici. Edulcorationem aliquoties itera, pòst leni calore super fornacem, vel quod meliùs (citò enim inflammatur, & evanescit cum tonitru) in calore Solis optimè siccescat, & sic habebis calcem solis tonantem, quæ in summam poterit reduci sanitatis medicinam, si cum sulphure adhuc semel calcinetur, & cum philosophico aceto anima ipsi extrahatur, remanente albo corpore.

Calce crudâ sic utitur Anglus Sala: Recipit Calcis auri probè exiccati quantum vis, & supra marmor leniter dispergit, & Spiritu vini Hispanici cum melissa exiccata ter rectificati, & à phlegmate separati irrorat: Deinde

Recip. pulveris huic Unc. unam.
croci orient: Scrup. unum.
ambr. gris.
mosch. Orient. ana gr: vj.

Miscet & in vitreo vase servare jubet. Datur â gran. iij. ad viij. in conveniente liquore, vel vino. Sudor benè tecto patienti placidè expectandus.

Usus: facit ad Syncopen, melancholiam, suffocationem sive caducum matricis, Epilepsiam, vertiginem, hemicraniam, lethargum, paralysin, Dysenteriam & menses.

DE MARTE notetur, quod eadem fulminandi facultate polleat, si aquâ forte, quæ nullum Salem Armoniacum recepit, solvatur, & oleo tartari repercutiatur. Sed dili-

diligenter animadvertendum, ne ex nimia ebullitione, quam aqua fortis, super Martem fusa, caussatur, spes tua fallatur, & Spiritus, qui fulminant efferoces, evanescant in auras. Vel poteris sic procedere;

Recipe limaturam Martis per ablutiones crebras repurgatam, austra liquore tartari per vesicam animalis sancti duodecim annorum destillato; Resicca, tere, iterúmque irriga, seu imbibe; Repete hunc laborem, donec pulverem reddat. Hunc abstractum aceto stillatitio pota, arefactumque iterum sepone; Mox cape aquam fortem, atque injice pulverem præparatum, & in bullas attolletur, fervescetque, cum totum sic solutum erit. Destillando abstrahe aquam, & calcem in laminas ferreas, vel patinas distribue & reverbera horis viginti quatuor. Hic crocus calx elaboratior est, & igniculo concepto tonare solet, si rectè egisti.

CAPUT SEXTUM

De convenientia & affinitate singulari Auri & Solis.

INter principes duos Planetas, uti Keckermannus Philosophus magni nominis & existimationis, Solem & Lunam vocitat, Sol meritò primum locum obtinet, quippe qui aureo suo lumine fons, & autor omnium rerum, atque adeò toti mundo vivificam vim, virorem, & vigorem impertit. Dicitur Latinis Sol, quia solus de die cæteris stellis occultatis lucet. Græci appellant ἥλεον ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ἑλεῖν à perpetua revolutione, *qua beneficio lucis & caloris insiti, per radios Spiritum, & animam universi, inexhaustasq́ natura vires, quæ in eo, tanquam receptaculo, & perenni fonte reconditæ sunt, in hæc inferiora demittit & infigit. Hinc Plato Solem, cælestem & invincibilem ignem: Heraclitus fontem luminis cælestis.*

Orpheus lucem vitæ, mundi cœliq; oculum vivificum: Paracelsus Spiraculum vitæ elementorum: Jamlichus datorem, vel immediatè à seipso, vel mediatè ab ipso, per lunam & alia omnis boni vocat.

Id quod longâ serie, si immensum creaturarum circulum transcurrere vellemus, demonstrare possemus, si esset hujus loci & nostri propositi. Manebimus intra terminos, & verba instruamus secundum subjectam materiam. Ab hac enim una Sympathetica Solis cum auro harmonia discere poteris & reliquas.

Elucescit autem Sympathia illa Solis & Auri statim ex supra sparsim adductis, quod ubi major calor, & vis Solis, prout in Oriente, ibi & major auri copia; Et quod ii, qui per Solis, & Mercurii amalgama laudabili fine potiri satagunt, conjunctione Solis & Mercurii id agant & suscipiant ex Paracelsi doctrina necesse habeant.

Sol enim est, qui filium, imaginem, & Idolum sui in terra, aurum scil. animat, auget, & sidereis qualitatibus, & essentiis implet.

Aurum si in terra, ubi dominatur Sol, Orientem scilicet spectante, sepeliatur, & semper recente urinâ hominis & stercore columbino fæcundetur, augmentatur.

Aurifabri norunt, quod si aurum purissimum Cœlo austrino, quo radiantia Solis lumina nubibus intercipiuntur, fundunt, quod durum, inductile, & friabile evadat. Secus verò fit, si sudo tempore, quo cœli mundique oculus

(Omnia qui videt, & per quem videt omnia Mundus, Ovid. lib. 4. Metamorph.) Filium suum serena fronte aspicere potis est, labor urgetur. Eò intendens digitum verè dixit Paracelsus alicubi; Septem Planetæ efficacissimè operationes suas exerunt in septenis suis metallicis corporibus, verbi gratia; Sol agit in aurum, Luna in argentum, Venus in cuprum, Jupiter in stannum; Mercurius in argentum vivum,

vivum, Mars in ferrum, & Saturnus in plumbum. Hinc sapientes veteres Solem & Aurum uno hoc charactere Hieroglyphico ☉ circulo scilic. & centro præfigurare voluerũt, ut significarent in utroque tàm superiorum, quàm inferiorum vires contineri, & insignem esse invicem φιλαδελφίαν.

Prout enim Sol cœlestis, mundi illa mens, & cœli cor erga reliquos Planetas; Sic aurum erga reliqua metalla sese habet. Igitur propter hanc singularem correspondentiam, & efficacissimam influentiam Solis, & auri Naturales Magi fundamentum extruxere annuli Solis, Lunâ in ariete existente Rex coronâ caput redimitus, sedens in quadriga triumphali, in dextra speculum, in sinistra ligatam virgam tenens foditur. Hunc qui gestat, Magnatum favorem sibi conciliare, & in auri operationibus successum habere felicissimum perhibent. Et sic ex omnibus metallis secundum diversitatem intentionis annuli conflari possunt.

Sunt, qui adunco naso, & superciliosi hæc deridere volunt; Sed magnifaciunt haud nulli veris, & licitis Magicis principiis convicti. Non enim statim hoc negandum, ut multi faciunt, quod Φήμη Φημίζει: Sed videndum quid rei subesse possit, Scaliger Exerc. 273 sect. 1. Metallorum hasce influentias, & harmonicum consensum, si semper considerarent ii acutissimè, qui verum metallicum semen ad multiplicationem, & regenerationem metallorum quærunt, (neque enim tàm invida fuit natura minerali regno, ut illi omne semen ademisset, & solùm animali & vegetabili concessisset,) quique transmutationes illorum noctéque dieque meditantur; Certè operationes eorum non ita ex sola fortuna penderent, sed fundamentis veris naturæ nixæ sæpiùs pro infamia gloriam reportarent. *Quæ observatio certè in omnes cadit Chymicos, tàm qui medicinalia ex tribus regnis, petita, quàm qui meliorationibus, gradationibus & multiplicationibus metallorum inhiant; Sic enim futurum esset, ut secundum superiora, & inferiora, quia indissolubili lege invicem cohærent,*

materialiter & astraliter medicamenta morbis opponerentur, & observatis sydereis ægrotorum complexionibus unicuiq; conveniens fundamentaliterq; morbum vincens & eradicans medicamentum inveniretur, id quod quilibet sacratissimæ naturæ mysta tanquam proprii sudoris ac laboris salarium propter mundi ingratitudinem meritò sibi reservat, nec otiosâ rubigine sufflatis sciolis contemtui, ac derisui exponit. Symbolysatio alioquin Solis & Auri quatuor modis absolvitur:

I. Incorruptibilitate, & incombustibilitate: Nam rectè Augurellus

— uni nîl deperit auro
Igne velut Solem consumit nulla vetustas,
Ac neque rubigo, aut ærugo conficit ulla
Cuncta adeò firmis illic compagibus hærent.

II. Splendore & colore.

III. Relatione, sicut enim se Sol habet ad Planetas reliquos, quippe qui lucem & influentias à Sole ducunt: Sic quoque aurum ad cætera metalla sese refert, quæ Spiritualiter auri essentiam latitantem possident. Manifesta ergò, quod occultum, & philosophicè erue, atque intus & foris undique tibi Sol lucebit.

IV. Effectibus: Solis officium est subtiliare crassum, & attenuare Spiritus, & corpora incrassata, & quod mundificet suâ præsentiâ spurcitiem & sorditiem hyemis, exhilaret cœlum triste & nubilosum & renovet res quasi mortuas, totumque mundum suo adventu & accessione novis & jucundissimis ornet vestimentis.

Aurum non quidem foliatum, aut limatum, sed in Essentiam seu spiritualem & astralem naturam redactum, quo de infra Capite Nono, Elixir summum est, ac potentissimum morbis coagulatis & solutis succurrit, corpus præservat, ac mundificat à lepra, Scabie, Alopecia & Tyria. Cor hominis triste exhilarat, & confortat, timidos facit audaces, melancholiam myrachialem, Scorbutum & alias hypo-

hypochondriacas affectiones astraliter removet, corpusque humanum sincerum reddit ac innovat. Subvenit stomacho, calorem naturalem temperat, & conservat summa: Corpus hominis ad summam sanitatem reducit, & omnes morbos curat ac tollit; Idque præstat non ratione caloris, vel frigoris, vel humiditatis, vel siccitatis, neque enim calefacit, neque infrigidat, neque humectat, neque desiccat; Sed quia temperatum temperamentum propter elementorum in eo adæquationem possidet, quo omnem rem excedit in temperantia, & perennitate, & propter singularem complexionem, qua cũ humana natura & corde hominis ritè cõvenit: Vide Paracels. lib. 12. de trans. rer. natural. item lib. 2. & 3. cap. 2. & 3. de vita longa. Quercet. in tetrad. cap. 32. Arnoldum de villa nova libr. de conserv. juvent. cap. 2. *Vita enim hominis est Balsamus astralis, ignis cœlestis, invisibilis, & Spiritus Salis tingens. Aurum etiam in se Balsamum astralem, ignem cœlestem, invisibilem, & Spiritum Salis tingentem continet, sed omnia hæc adæquatissimè & temperatissimè.* Vides Symbolisationem.

CAPUT SEPTIMUM

De Sympathia Auri cum humana natura.

TErra constare hominem non tantùm ex creatione Adami primi nostri parentis novimus, sed & à posteriori in nobis omnibus experimur. Terra sumus, & in terram revertimur. Non enim ex DEO tantùm originem Adamus habuit suam, licet μόϱιον ϰ̀ ἀπόσπασμα τȣ̃ θεȣ̃ divinæ auræ particulam, hoc est, DEI imaginem acceperit; Sed chaos corpus sibi vendicat, ex quo omnia virtute verbi divini producta fuêre. Quemadmodum verò una creatura præstantior alterâ, non quidem ratione substantiæ per se considerata;

deratæ; Sed qualitatis, & certi respectus; Sic dubium est nullum, quin DEUS ter optimus, maximus, creaturæ nobiliori nobilius corpus, quod terra suppeditavit, elegerit. DEUS enim est DEUS ordinis & omnia ordine, tempore, mensurâ & pondere certo, teste Ecclesiastico, creavit. Homo autem jam omnium suffragio, nobilissima, quia & perfectissima, creatura; Ergo & nobilissimam terræ glebam in articulo creationis pro corpore tulit, & quidem talem terram, quæ temperatissima, nec ullis unquam obnoxia fuisset mutationibus, nisi Evæ porrectum & præmorsum pomum improvidus Adam admordisset & glutivisset. Quare cum Aurum verò talem elementorum compagem & proportionem habeat, inque se cùm terrestria, tùm cœlestia continet, quod etiam de μικροκόσμῳ homine dici potest; Ex argilla aurea Adamum (qui à Rubra terra, quam ratione derivationis Adami vocabulum significat, non sine omine nomen accepit suum) prodiisse, neque contra rationem, neque contra pietatem est credere. Et licet non eadem prorsus cum auro fuerit materia, quod tamen absonum non est; Tamen ad minimum similem argillam fortè fuisse terræ Lemniæ, vel Silesiacæ, quam Clarissimus Montanus axungiam Solis in tractatu de terra Silesiacâ certis fundamentis indigitare non veretur, pia ac devotâ conjecturâ conjecturari licet. Unde ergò Sympathia illa auri cum homine, quam Aristotelici cœcâ experientiâ quidem affirmant, sed rationibus non demonstrant, ortum habeat, primis digitulis quilibet cordatior computare potest.

Utut verò ratione materiæ singularis detur convenientia; Tamen propter lapsum; prout in hominis natura, sic & in nobilissima auri creatura maxima orta fuit ob maledictionem mutatio; Portas auri DEUS occlusit, gazas illius occultavit, & in sudorem vultus nostri panem & sanitatem posuit. Ergo secundum tria Cabalistarum principia;

Quære, Pulsa, Ora.